



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1581 usque ad annum 1589

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118650

§. 37. Hæreticorum Scripta contra hanc Constitutionem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67246](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67246)

„bis Christiani quietis hostium vires
„conjungant.

Sæcul. XVI,
A.C. 1585.

Ita testor Henricus Borbonius Con-
dæus Princeps: affixum Romæ die
sexta Novembris anno millesimo quin-
gentesimo octogesimo quinto.

§. XXXVII.

*Hæreticorum scripta contra Papæ
Constitutionem.*

Hæc provocatio, quæ sane indignis
conscripta erat verbis, Papam haud
parum affligebat, obstupescens cun-
ctis, quod in romanam urbem adeo
temerarii irreperint Viri, qui tam pro-
pudiosum programma affigere præsum-
pserint: postquam vero Papa sedula,
frustranea tamen solertia in hujus pro-
tervi facinoris Auctores inquire jusse-
rat, cuncta hujus scripti exempla sup-
primi curabat, nec tamen præpediri
poterat, quin ex Galliis innumera pe-
ne mordacia scripta adversus hanc Con-
stitutionem ad romanam urbem defer-
rentur, atque utriusque Religionis Viri,
qui Regum bona nullatenus Pontificum
jurisdictioni obnoxia censebant, hanc
Bullam irritam esse declararent: ex
hisce vero satyris prima in Italia, at-
que ad Italos directa prodiit, atque a
quodam nobili Gallo, quem Franci-
scum Perrotum fuisse dicunt, compo-
sita

Thuan. &
Mem. l. c.
Brutum ful-
men Sixti V.
advers. Reg.
Nav. ann.
1586.

Sæcul. XVI. fita fuit, quæ sane mordacissimo calamo, ac seposita omni verecundia omnes honestatis limites excedit, & romanam Curiam, ipsamque Pontificis Bullam livido dente corrodit. Paulo post in eandem debacchabatur Franciscus Hotmannus celebris illius ævi Jurisconsultus, qui librum edidit sub hoc titulo: *Brutum fulmen Sixti V. adversus Navarrae Regem*: hic Author joculari quidem utebatur stylo, verum in summos Pontifices atrocissima dictoria, ac mendacia impudentissimo ore evomebat, seque passim effræni calumniandi libidine accensum, ac debite moderationis prorsus ignarum manifestabat. Denique Petrus Bellajus Advocatus in Tolosana Curia librum composuit, cui titulus: *Mediæ abusus, ac nullitatis contra Sixti V. Bullam*: verum ob tam indignum facinus a fœderatis carceri Parisiis mancipabatur, in quo etiam a die quarta Junii Anni post Christum natum millesimi quingentesimi octogesimali septimi usque ad diem decimam Maji anni millesimi quingentesimi nonagesimi primi detentus erat, hoc autem anno inde fuga elapsus est. (*)

§. XXXVIII.

(*) Supervacaneum est horum Scriptorum inju-